

SPECIMINIS ACADEMICI,
DE REVELATIONE,
PARS POSTERIOR, SIVE THEOLOGICA.

CUJUS CONTINUATIONEM,
EX SPECIALI SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS VENIA
CONS. VENERANDA FAC. THEOL. ABOENSİ,
PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT
FRANC. MICH. FRANZEN,
PHIL. PRACT. ET MIST. PROF. REG. ET ORD.

ET

JACOBUS JONAS ESTLANDER,
OSTROBOTNIENSIS.

In Audit. Maj. d. 18 Junii 1803.

Horis p. m. solitis.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

aut Pharisaeos, qui externa tantum virtutis specie non modo alios, sed se ipos etiam decipiunt, quin, Deum placare & ab eo immortalem mereri felicitatem sperant. Quorum vero conscientia moralis non acquiescit, nisi ad veram admittantur virtutem; illi non paupertatem tantum, & labores, & morbos, & injurias ab aliis illatas, & suam imprudentiam, & omnes vitae hujus ærumnas patiuntur, sed vanum quoque consilium & operam suam legi morali pleni satisfaciendi plerunque dolent; atque, vita infelices, mortem quoque perhorrescant, nil pollicentem nisi æternam pœnitentiam animi, se sanctissimum offendisse numen, sibi concisi: quæ sola est gehenna, cuius vermis non moritur, cuius flammæ non extinguntur.

Quam misera ideoque esset conditio generis humani, nisi Christus illud salvasset! Non nisi unam quæstionis de destinatione hominis partem historia de creatione & lapsu ejus solvit. Alteram complectitur doctrina de fide in Jesum, integritatis humanæ restitutorem.

§. 4.

Quid igitur Christus in hunc finem effecit? Primum, realem esse virtutem atque mortalibus omni nisu querendam, confirmavit, ideam ejus purissimam populariter definiendo, & exemplum ejus divinum in se ipso sensibile ostendendo. Deinde, pro nobis, ad illam assequendam feria quidem voluntate, sed effectu haud pleno, admittentibus, justitiae æternæ satisfecit. Tum, vires nostras auxilio suo cœlesti sublevaturum se fore, pollicitus est. Postremo autem, & metam virtutis nostræ & palmam felicitatis, ea obtinendam, extra hanc vitam statuit. Moralem, verbo, hominibus obtulit usum notitiæ, omnem superantis humanam rationem, neque tamen ei contrarie, de Deo triuno, Patre, Filio & Spiritu Sancto: qua scilicet practicam in animis eorum efficiente fidem, e miseria &

corruptela sua temporali in æternam restituerentur felicitatem.
Matth. 28. 19. 1 Joh. 1. 2, 3. Rom. 8. 1. sqq. 2 Cor. 5. 19.

Quomodo igitur primum virtutem definivit doctor dominus? Præcipiendo: ut non Mammoni & hujus mundi principi, quæ idola omnes illi colunt, qui voluptates, divitias, opes, honores, gloriam, imperia, regna affectant, sed Deo serviamus: quem ut patrem describit infiniti in omni genus humanum amoris, implacabilis autem iustitia in eos, qui legem familie, cuius membra esse volunt, cuius bonis a deo, patre familias, exspectandis, frui optant, aut non omnino observant, aut non nisi mercedis causa, externa tantum specie, colunt, (Matth. 5. 46, 47.). Hujus vero legis præcipua esse capitula statuit, ut primum pater præ omnibus & ex intimo animo ametur (suam scilicet agendo voluntatem, sui tantum causa ea servando præcepta, quæ conditio familie humanæ, in terra constitutæ, servanda poscit), deinde omnes homines, sicut fratres, a se invicem diligentur, quisque proximi sui felicitatem, æque ac suam querat, (Matth. 22. 35-40. Marc. 12. 28-31. Luc. 10. 25-37.), atque vel inimicis suis bene consulat, qui, quamvis sibi infensi & ingratiti, ejusdem tamen patris filii sunt, eadem hic fruuntur cura paterna, malos a bonis hic non distinguente, (Matth. 5. 45.), eandem coelestis quoque hæreditatis spem habent, si se emendant, (Matth. 18. c. Luc. 15 & 16 c.). Summam vero virtutis humanæ ex his omnibus hanc collegit: ut quisque hominum Deo, ut optimo patri filii boni, similes esse studeant. (Matth. 5. 48.).

Ita quidem fatis confirmata est divina auctoritate idea virtutis puræ & perfectæ; sed nondum omnis sublata est obscuritas, & inde nascens dubitatio. Hæc enim præcipienti doctori, omnes, cum Philippo (Joh. 14. 8.) interloqui tentamus: ostende nobis patrem illum, quem imitari debemus. Omnibus igitur nobis id est responsum, quod Philippo respondit: "qui
me

me vidit, patrem vidit." Hæc nempe est maxima & admirabilis religionis Christianæ laus, quæ omniem superat humanam disciplinam: quod deum in homine hominibus præsentem fuisse, neque tamen cum homine ita consulum, ut divina sua sanctitas & excellentia vel minime læsa sit; quod sensibilem nobis exhibet patris cœlestis imaginem, quam ut mortalibus cernere oculis, ita terrestribus iinitari actionibus nobis omnibus licet, puram tamen & incorruptam conservans entis perfectissimi ideam; quod Deum, quatenus hominum est doctor, exemplum & salvator, in homine ostendit, neque tamen hominem, quatenus homo est, deum facit. 1 Tim. 3. 16. Col. 2. 9.

Omní quidem tempore sensit ratio humana, sibi ipsi relata, notitiam entis infiniti a conceptu plurimorum hominum nimis esse remotam, neque in animos & mores eorum efficacem, nisi sensibili quadam imagine induitam. Sed omnes, quas illa adhibere ausa est, configurationes numinis divini, duobus laborarunt magnis vitiis: uno, quod vana esent phantasias humanæ figmenta, altero, quod id non præstiterunt, cuius usus erat, ut sanctissimi entis idea moralis forma quadam, sensibus accepta, nec tamen rationi contraria, popularis & ad virtutem in hominibus efficiendam apta fieret ac idonea. Gal. 4. 8. Col. 2. 8. Apost. 17. 29.

Ut neque de Græcorum & Romanorum mythologia, neque de variis attributorum & virium divinarum personificationibus inter Judeos, e Babylonia reversos, solemnis loquamus: quid est fictio illa poëtico-metaphysica vel Platonis vel Philonis de λόγῳ? Num aut veritatem ullam, aut practicum habet usum? Totam vero indolem religionis Christianæ, quæ moralem tantum finem intendens, nullis favet speculationibus mere theoreticis non minus corrumptis, quam scripturam sacram contorquent, qui idem vel simile esse figmentum λόγον, de quo Johannes (Ev. cap. 1.) loquitur, affirmare solent. Hic enim,

enim, neque de Psyche quadam Pseudoplatonica *ee*), quae, Deo enata, diversa eslet ab eo subsstantia, universi autem anima creatrix; neque de æone quadam & demiurgo Philonico, cogitare intelligi potest; sed potius contra Gnosticos, aliosque essentiæ divinæ multiplicatores, qui originariam doctrinæ christianæ indolem corrumpebant *ff*), clare & diserte docet: *λόγος*, qui in homine Jesu terrestri figura (*σαρκὶ*) sed dignitate (*δοξῇ*) divina (*Ὄν μονογενὲς παῖς πατέρος*), benignissimus & veracissimus (*πλήνες χάριτος καὶ αἰλούθειας*) apparuit (v. 14.), esse eundem totius rerum naturæ creatorem & gubernatorem aeternum (v. 1. 2. 3.), qui in orbe sensibili, ut causa omnis cum vita ac felicitatis, tum veritatis & scientiae (v. 4.) unicuique in mundum nato homini (v. 9) manifestatus est; cujusque cognitio, ultima & verissima hominum scientia (*ὅπερ αἰλούθων* v. 9.), in mundo sensibili gentibus terræ frustra oblatâ est (v. 5 & 10); Judæis vero peculiari modo tradita, ne ab illis quidem omnibus accepta erat (v. 11.); qui autem eam acceperant, illis causa facta emendationis suæ moralis; quo scilicet nomine (v. 12.), non ob physicam stirpem (v. 13.), de qua gloriata est Abrahæ proles, jus obtinuerunt filiorum dei *gg*). Videtur autem Evangelista vocabulo *λόγος* ex duplice ratione usus esse: primum, quia usus erat apud Hebræo-Chaldaeos non modo vim dei creatricem, sed ipsum quoque deum, quatenus le mortalibus manifestat, verbum *νῦν appellandi bb*); deinde ut vocabulo apud illos, quos

refel.

ee) Aliam fuisse originariam Platonis ipsius ideam, hodie constat. Cfr. TENNEMAN *Geschichte der Philosophie*, 2 Band, p. 386 sqq.

ff) Vide HERDER I. c. T. III, p. 36-93. SEILER I. c. T. II. p. 432 sqq.

gg) Cfr. HERDER I. c. p. 93. sqq.

hh) Vide e. c. paraphrasin chaldaicam Jes. 45. 22. 48. 11. 16. 49. 5. 15. &c. Cfr. Seiler I. c. T. II. p. 434.

refellere voluit, jam solemni, veram & doctrinæ Christi contentaneam significationem daret, atque ita omnes illos novarum phrasium & hypothesium meditatores suis quasi armis expugnaret. Ceterum non hæc tantum a Johanne facta declaratio, qui & alio loco (1 Joh. 5. 20.) Christum verum deum appellat *iiij.*, ipse optimus verborum suorum interpres, sed plurima etiam ipsius Salvatoris dicti, clare ostendunt: neque intermedium quoddam creationis organon, neque genium aliquem cœlestem, sed ipsum deum in humana figura mortalibus colendum & imitandum sese præbuisse. Si me videtis, Jesus inquit, deum videtis; si me cognoscitis, deum cognoscitis; quod ego facio, pater in me facit; quod pater operatur & ego operor; pater est in me, & ego in patre, ego & pater unum sumus; ut pater, sic filius honoretur; qui filium non dileximat, neque patrem estimat &c. (Joh. 8. 19. 14. 7. 10. 10. 30. 38. 5. 17. 23.)

Num vero ens infinitum corpoream induisse figuram cogitari potest? Num auctor universi, cuius id am completante totus quidem, quem nos cognoscimus, terræ & cœli orbis nobis suppeditat, in homine, quæcumque mirabilia, magna & sancta agat, quæcumque vera & ignota doceat, nobis apparere potest? His questionibus respondetur: mysterium hoc esse, omnem superans intellectum humanum, nos vero non sine summa insolentia & temeritate negare posse, aliquid revera existere, eam solam ob causam, quod nos intelligere nequeamus, quomodo existat. Rechte quidem: nam multa sunt naturalia

iiij. Referunt quidem nonnulli interpretes loci hujus vocabulum *O'utōs* ad Deum patrem, sed non sine vi textui adhibita. Clara nobis esse videtur sententia Apostoli. Christus, inquit, venit in mundum, ut nobis in se ipso verum ostenderet Deum. Hic est verus Deus: in Iesu Christo manifestatus; hic est auctor vita & felicitatis aeternæ. Hunc colite, filioli; cavete autem deastros.

talia etiam, quæ a nobis non intelliguntur & tamen esse **crea**
 denda sunt, substantiæ v. c. & corporum & animorum. Non
 tamen dubitatores prorsus refellit hoc argumentum: objiciunt
 enim ideam entis absoluti, in homine apparentis, non modo
 superare sed tollere omnino rationem humānam, neque minus,
 quam ideam circuli quadrangularis, sibi ipsi contrariari. Sed
 facile hæc repellitur objec̄tio, si rite explicatur scriptura sa-
 cra. Nusquam enim hæc docet, Deum, vel quatenus per se
 existit, cuius existentiæ nullam omnino nobis facere notionem
 valemus, vel quatenus universi est causa infinita & absoluta,
 cuius non nisi idea abstracta in mente philosophice exculta
 concipi potest, vel quatenus creator & dominus est externæ
 rerum naturæ, de qua re ex hujus contemplatione satis doce-
 mur, sed quatenus morali respectu pater est & salvator, le-
 gislator & judex, doctor & exemplum omnis generis humani,
 sub forma filii Mariæ in terra esse natum & mortuum, atque
 omnia illa egisse & dixisse, quæ in evangeliis legimus. Nil
 aliud hæc omnia annuunt. Neque huic sensui repugnant di-
 eta Apostolorum (Joh. 1. 3. Col. 1. 15. 1 Cor. 8. 6. Hebr.
 1. 8.): per Christum omnia esse creata, nec sine illo vel vi-
 bilia, vel invicibilia, vel terrestria, vel cœlestia. Nam hoc
 est fundamentum omnis veræ religionis, & naturalis (Apost.
 17. 24-28), & christianæ (Joh. 17. 3.), non esse nisi unum
 Deum. Ille igitur optimus, justissimus & sanctissimus Deus,
 hominum salvator & judex, qui in Christo sensibilem se fecit,
 quis potest esse, nisi Deus, universi æternus & omnipotens
 creator & gubernator?

Hæc vero ita non sunt intelligenda, ac si negemus di-
 versas esse personas Deum patrem & Deum filium. Quamvis
 enim Scriptura sacra hoc mysterium expressis verbis non de-
 clarat (Ebr. 1. 5.): filii tamen a patre æternam generationem
 atque differentiam utriusque personæ divinæ eo potius crede-
 re debemus, quo magis etiam naturalis nostra cogitandi in-
 doles

doles nobis persuadet, ut ideam patris, cuius vis infinita est causa universi prima & originaria, sed nobis & omnibus creaturis in eternum occulta, a notione filii, qui, cum in creatura rerum natura, tum in homine Christo, nobis Deum refert, ipsa nostra mente distinguamus. Symbolica & anthropomorphic est omnis nostra de Deo cognitio. Ne purissima quidem & maxime abstracta ejus idea ab hominibus concipi posset, nisi illis liceret, a sua ratione ad divinam judicare. Nihil abscongitur facere nobis videtur, si ad illustrandam rem difficultiam analogiam adhibemus mentis humanae. Hæc nimirum, quatenus se ipsam suaque tantum ideas contemplatur, intra se manet, nemini cognita, nisi sibi ipsis (atque enti omniscio). Ut vero extra se manifestetur, agat aliquid, necesse est: in actione quadam sensibili appareat. Duplex igitur (abstracta scilicet omni sensuali causa actionis) oritur ratio, theoretica & practica: quarum illa hanc gignit, nec cognoscitur nisi in hac, hæc tamen eadem est ratio ac illa: non enim existit nisi una ratio. Similiter Deus pater, per se existens, atque se suaque opera contemplans, nemini extra se manifestatur nisi per filium, per quem omnia creata sunt, & sine eo nihil. Hoc scilicet respectu sacri auctores illum λογον (rationem & orationem, sapientiam loquentem, apparentem, sensibilem) appellant; nec non unigenitum (Joh. 1. 14. 3. 16.) & primogenitum omnis creationis (Col. 1. 15.) imaginem Dei invisibilis (l. c.), splendorem gloriae & formam expressam substantia divinae (Hebr. 1. 4.). Atque universum non modo per eum, sed in eum factum esse affirmant (Col. 1. 16): cum scilicet nihil a nomine sancto & omnipotente creatum esse cogitari possit, nisi ut practica ejus ratio in eo appareat kk):

I

omnes-

kk) Non divinitatis in orbe creato apparitionem realem, sed humanitatis perfectæ (h. e. moralis perfectionis creaturarum, ratione uentientium) ideam personificatam esse λογον, Kentius intelligit (l. c.



omnesque rationis participes illam pro norma & exemplo suo habeant. A prima igitur mundi origine logos manifestatus est: ante illum creatum cum deo exilens (Joh. 17. 5.). Ut vero mortales eum certiorem cognoscerent, propriorem spedarent, sensibiliorem sequerentur, in humano individuo peculiari modo revelatus est: docens & agens, quæ & humana escent, cum ab homine fierent, & divina, cum & apodictice vera & sancta escent, nec ab alio quam domino naturæ & fortunæ praestari possent.

De internis autem modis, quo Pater filium ab æterno genuit, & quo filius dei cum filio homine conjunctus est, argutandi, nos stultum mittamus laborem: qui ne nostræ quidem mentis in corpus actionem explicare valemus. Quod ad nos pertinet, est tantum scire: quibus rebus Christus, quatenus deum nobis refert, a ceteris distinguatur prophetis, qui divinam esse missionem suam, & doctrinam & miraculis ostenderunt. Illa sunt: 1:o legislatio positiva in celo & terra (Matth. 28. 18. Joh. 8. c.). 2:o Perfecta vitæ sanctimonia (2 Cor. 5. 21. Hebr. 4. 15. 1 Petr. 1. 19.) salvatio totius generis humani (Joh. 5. 16.), &

con-

² St. p. 73.). Quæ autem hypothesis faœre non convenit scripturæ. Primum enim hæc clare affirmat, non modo *in*, sed etiam *per λόγον* omnia esse creata. Illud quidem, non modo philosophice defendi, sed Pauli etiam verbis (Col. 1. 16.) conciliari possit, si λόγος tale significet principium bonum, quod clarus ille philosophus statuit. Hoc vero de tali λόγῳ dictum nullum habeat sensum. Ratio creatrix non potest esse creaturarum, sed creatoris. Deinde λόγος Kantianus non est nisi idea, quæ in certo quodam homine ita tantum objectivam obtinet veritatem, si justus & sanctus esse creditur, de qua nulla potest esse hominum certa persuasio. Evangelicus autem λόγος est ipse deus in Christo reali sanctitate apparenſ: de qua dubitare nequimus, nisi divinam tollamus totius doctrinæ christianæ auctoritatem.

condemnatio principis mundi hujus (Joh. 12. 31. 14. 30. 31. 16. 8 - 11.). 310 Judicium extreum de omnibus mortalibus habendum, (Matth. 25. 31. 32. Joh. 5. 26 - 29. 11. 25.).

Quis denique est effectus moralis doctrinæ hujus principalis de Christo homine & Deo? Ut primum apud omnes, qui religionem christianam pro vera agnoscunt, nulla superflit dubitatio de realitate legis moralis, quam Deus ipse in terra prælens sua auctoritate constituit, iuo exemplo coluit & extrema die exequetur; deinde novam inde tentiant ad virtutem excitationem; tum spem accipient, fore, si Christum imitari serio studeant: ut in civitatem ejus aeternam gratia divina restitui possint, (Luc. 24. 47. Rom. 8. 3. Col. 1. 13. 2. 13. Gal. 4. 4. 5. Eph. 2. 5.).

§. 5.

Magna tamen adhuc restat difficultas conciliandæ justitiae divinæ cum gratia divina, peccatoribus in Christum credentibus peccata sua remisura. Primum enim originaria generis corruptela id efficit, ut nemo, nisi denuo quasi generatus, Deo acceptus fieri poscit, (Joh. 3. 3. 5.). Nam et si illa subiectivam non gignit culpam, nisi libera accedit individui prævitæ: nemo tamen est, qui sibi ipse non fateatur, se ab eo usque tempore, quo rationis suæ conscius factus est, libere peccasse; neque se ipsum tantum corrupisse, sed aliorum etiam virtuti & felicitati nocuisse, atque sic malum in mundo & physicum & morale sua sponte auxisse. Si igitur vel ad sanctam postea mutetur voluntas atque actio sua, nullo tamen temporis momento plus agit boni, quam debet. Quomodo igitur id solvet, quod antea debuit? Neque peccata sua infesta facere potest, neque vel damnum, quod aliis fecit, semper reparare. Aut mortui sunt, aut alio modo ex orbe, in quo

ille agere potest, perdit; aut, si morale fuerit damnum, ita corrupti, ut corrigi nequeant. Quam facile juvenis v. c. innocentia, exemplo vel dicto tuo imprudentiori irreparabilem cepit noxam! Constat itaque, vel honestissimum hominem coram justitia divina perpetuum manere debitorem, id coque perpetuae obnoxium poenæ.

Deinde, eti voluntatem habeamus, vel maxime ferjam, nil agendi nisi bonum, id tamen semper revera efficere non valemus. Neque consilium suum perfecte honestum & sanctum servare ullus mortalium potest, neque effectum ejus in orbe physico talem reddere, qualem vult & studet. Ideoque ne ille quidem, qui fide in Christum moraliter fuerit emendatus (conversus, regeneratus), impedire potest, quin causa pergit esse aucti in mundo mali & physici & moralis. Quid igitur sentiet moriturus? Aut se ipsum despiciet, & odio habebit, aut Deum ipsum sanctissimum accusabit, qui vana eum sefellerit libertatis & virtutis specie: nisi spem habeat, gratiam divinam peccata sibi remisuram fore. Sed ratio humana neque hanc cum divina justitia conciliare potest, neque alio modo desperationem istam tollere, unicuique mortalium, quo honestiori, eo graviorem: qua igitur virtus ipsa, quatenus virtus est, puniri videtur.

§. 6.

Novum igitur adhuc desideratur a revelatione auxilium: quod etiam praefat religio christiana in doctrina de satisfactione Christi vicaria. Theoretice quidem considerata, intellectum humanum transcendit hæc, ut omnis, de rebus divinis & moralibus, quatenus per se existunt, quæstio, practice autem spectata, omnem habet rationi nostræ satisfaciendi vim, nec aliud certe quam practicum intendit finem. — Hanc ve-

ro tentabimus dogmatis, cum gravissimi & maxime salutaris, tum vehementissime oppugnati, explicationem: & rationi, & scripturæ sacræ, facile, quod speramus, conciliandam.

Pro datis posimus & naturalis & revelatae religionis principiis: 1:o Deum esse, ut justum & sanctum, ita proprium & benignum; qui omne genus humanum, et si illud ut pote liberum a peccando non impediverit, neque pro iustitia sua non potuerit non punire, tanto tamen amplectatur amore, ut ad finem, cuius causa creatum est, felicitatem scilicet per virtutem obtaindam, omni modo, qui & sanctitati divinæ & libertati humanæ conveniat, unumquemque hominem promovere, omni pergit temporis momento. Matth. 18. 14. Luc. 15 cap. 2:o Omnipotentiam & sapientiam infinitam, salva libertate entium moralium sed finitorum, actiones eorum, quatenus physice se exserunt, non minus, quam omnes naturæ eventus, ita regere posse, ut ad finem totius universi tandem conspirent; ideoque omne malum, non physicum tantum sed morale etiam, quatenus scilicet in orbe sensibili effectum habet, ab infinita providentia, universum gubernante, tolli posse & in bonum converti. 3:o Orbem illum moralem (regnū dei), ad quem restituimur, si moraliter regeneramur, a sensuali mundo in quo agimus ita esse diversum, ut omne illud malum, cuius in hoc caufa sumus, ad illum non perveniat, ubi scilicet non nisi voluntas nostra, quæ sola libera est, a judice sancto & omniscio spectatur. 4:o Et postremo, justissimum numen, eti omnia hominum moralem emendationem desideret, eam tamen aliter efficere non posse, quam vel legem rationi eorum approbandam proponendo, vel poenas simul sensibus eorum metuendas statuendo, illud vero solum non sufficere, cum legem sciant & approbent, nec tamen sequantur; hoc autem non veram efficere animi emendationem, sed externam tantum actionum cum lege convenientiam: qualis est v. c. temperantia hominis, qui valetudinem luxuria

perdidit, aut abstinentia furis, qui virgis cædi & carcere retineri timet. Ex his autem colligimus, primum: Deum & velle & posse omnem tollere effectum physicum mali moralis, ideoque ei, cuius voluntas perfecte emendata est, omnia peccata, salva divina justitia, renitti; deinde eum velle quidem liberam hominis voluntatem suo consilio & auxilio erigere & levare, sed non posse, cum neque sola rationis de sanctitate legis persuasio ad homines emendandos sufficiat, & poenarum vel in hoc vel in alio mundo luendarum metus servilem tantum & pharisæam efficiat virtutem: nisi forte tale existat ad miniculum, quo conspectus tantum ipsius legis, non rationi foli, sed phantasie quoque exhibite, quasi pena fiat: qua scilicet non amor sui, sed moralis conscientia puniatur. Quod fieri posit, si factum quoddam singulare omnes animi affectus humaniores, sympatheticos & honestos, ita commoveat, ut moralis quidam dolor existat, vi sua sensualibus similis, nec tamen oriundus, nisi a rationali honesti sensu.

Nonne vero tales habet effectum passio & mors Christi vicaria? Pœna, quam non ipsi damus, sed nostri causa summus noster benefactor dedit; sacrificium & felicitatis & dignitatis suæ cœlestis, quod pro nobis salvandis dilectus Dei filius fecit; vexatio crudelissima & insamis, cui integerrimus omnium ipse se obtulit, ut nos corruptissimos ad virtutem & felicitatem redimeret: quid in animos nostros efficiunt? Nonne acerbissimum excitant nostræ perversitatis sensum, qui nobis non potest non persuadere, nos esse reos, non eum; nos ideoque puniendos esse? Nos tamen non punimur, sed ille. Hoc autem justitiae divinæ ægre convenit. Quæ igitur sine culpa paslus est mala, illis eum ipsum esse punitum, non possumus cogitare (2 Cor. 5, 21.). Nos vero, qui confitemur, Christum pro nostra tantum e vitiis eorumque pœnis redemtione & vixisse & mortuum esse; hac confessione nostram facimus culpam supplicii Christi, (Gal. 3, 13.). Pro nobis igitur eum pœnas de-
disce,

disse, persuad mur: cum sine sua culpa passus sit, nec tamen sine causa, nostræ scilicet, quam tollere voluit, corruptelæ.

Hæc autem persuasio in animo, qui omnem non perdidit sensum moralis, ad eum emendandum, non potest non valde efficax esse. Filius perditus, qui vitiis suis patrem honestum & dilectum in desperationem demerxit, hac demum ad pœnitentiam moveatur: quæ pœnitentia multo sincerior est, & ad veram efficiendam virtutem aptior, quam quæ ex amissa vanitudo & fortuna oriri solet. Sic pœna Christi, cuius culpam nobis sponte suimus, ipsum animum nostrum vere emendat: nam neque dolore præsentis mali, neque metu futuri movemur: non nostrum sed alienum fentimus malum, id vero, quatenus moralem habemus sensum. Ex ipso fonte itaque omnis virtutis, e conscientia legis moralis, emendatio nostra originem suam dicit.

Ita quidem solutum est problema illud, quod transfiliit, non sustulit philosophia: quomodo virtus in homine, sola ratione non effecta, sensuali via parari posuit? Sed manet adhuc alia difficilis quæstio. Nam constat quidem passionem Christi ita fieri causam emendationis nostræ, si nostram perveritatem illius causam esse, non verbis tantum, sed omni animi sensu agnoscimus: atque in crucisixo omnis sanctitatis exemplo, nostroque salvatore, imaginem quasi & justitiae & bonitatis divinitæ serio contemplamur. (Joh. 3. 14. 15. 16.). Hæc tamen emendatio sufficientem nondum continet justificationis causam, cum neque anteriora tollat peccata, neque, ab homine vel respectu voluntatis, perfecta fieri umquam poslit. Ad nos quidem non pertinet intelligere, quomodo iustitia divina cum bonitate sua per se concilietur. Sufficit nobis clara Dei in faciis bibliis asseveratio: se Christi causa peccata nostra esse remisurum, Matth. 20. 28. Joh. 1. 29. Col. 1. 14. Eph. 1. 7. Rom. 3. 24. 1. Joh. 2. 2. Possumus tamen nos quo-

quoque talem videre rei rationem, ut in ea practica fiducia tuto acquiescere possimus. Nempe obserendum est; quod antea posuimus (p. 69.): Deum in imputandis actionibus hominum, quorum effectus omnes in bonum vertere finem ipse potest, non respicere nisi causam earum, liberam mentis voluntatem. Quid igitur impedit, quominus, hac ad emendatricem Dei gratiam, per filium suum nobis oblatam, accipiendo summo studio admittente, divina justitia omnem nobis remittat perversitatem anteriorem; quæ scilicet in morale Dei regnum animum regenitum & sanctificatum non sequitur, in physico orbe tota manens. Quamdiu autem voluntatis versus gratiam Dei conversio imperfecta est, tamdiu etiam justificatio respectu hominis, suæ perversitatis concii, imperfecta est. Neque in hac vita regnum Dei nisi veniens & futurum esse, facia docet scriptura. Quare etiam ut veniat, ex præcepto Christi, quotidie precamur. Quia igitur conditione justificamur & in civitatem istam divinam restituimur? Si emendamur: hoc etiam ratio docet. Non vero emendamur nisi per Christi & vitam sanctissimam & poenam gravissimam. (I Petr. 1. 19.): ita scilicet, si & hujus acerbitatem pudore, poenitentia ac sacrificiis philautiae nostræ, & illius sanctitatem, serio confilio & summa opera nil agendi nisi quod bonum & justum sit, nobis propriam, quantum fieri posuit, reddere studemus. Ebr. 9. 13. 14. Tit. 2. 14. 2 Cor. 5. 17-21. Nonne itaque Christi causa justificamur? Ut in Adamo omnes peccavimus, suum scilicet peccatum nostrum facientes: sic in Christo omnes justificamur, suam & integritatem & poenam nostram facientes (Rom. 5. 18. 19.). Quid igitur vel justitia divina indigni, vel rationi humanæ contrarii hæc doctrina continet, si ita e sensu & Christi (Joh. 3 & 8 cap.) & Apostolorum explicatur? Neque enim nobis aliquid imputatur, quod nostrum non est, sed prorsus alienum: neque tamen nostro merito falsificamur; cum non emendemur, nisi Christi doctrina vita &

mors

mors nos emendet. Hunc vero in mundum venisse, cui debemus, nisi Dei bonitati, omnem nostram emendationem antecedentię (Joh. 3. 16. Eph. 1. 5. Rom. 5. 8. 1 Joh. 4. 9. 10.). Nonne ergo divina est gratia, quae nos ad salutem restituit, non invitos & coactos, sed adiuviculo, quod nobis sine ullo nostro merito offert, libere utentes? Non vero id facimus, quatenus bona opera, actiones externas, patramus. Quid est premium harum mo ale, nisi ex animo emendato profluant? Signa sunt & effectus necessarii (frudus) virtutis, non virtutem ipsam efficiunt, quae in voluntate consistit. Nonne igitur, philosophice etiam, constat, hominem non operibus, sed fide (in Deum & virtutem), salvificari? — Quid autem est fides in Christum, quam philosophia ignorat? Tribus continetur partibus: primum, persuasione certa de realitate legis moralis, per Christi vitam & mortem demonstrata; deinde, confessione, nostram esse culpam ejus poenae, atque inde nascente pœnitentia & emendatione (terio consilio nil agendi, nisi quod ei placeat, quod bonum & honestum sit); tum, spe & fiducia de remissione omnis peccati, ex gratia divina in regno dei morali ita obtainenda, si huic gratiae, totum animum nostrum perfecte emendaturae, serua voluntate occurrimus.

§. 6.


Sed nondum plene sublata est omnis dubitandi causa. Manet enim quæstio: quomodo prima illa versus gratiam divinam conversio in animo humano sponte suaque propria vi effici positi? quomodo fiat, ut homo, externa admotus causa, salva tamen libertate sua, a mala in bonam, voluntatem suam convertat, atque alium quasi hominem ipse se faciat? Hæc eadem est quæstio, quam Nicodemus Christo (Joh. 3. 4.) proposuit. Illum enim ita simplicem fuisse, ut novæ generationis, physe intellectæ, impossibilitatem moneret, nulla est

causa credendi, cum & eruditus esset, & veritatis studiosus.
 Moralem itaque scepticismum verba ejus continent, quem &
 hodie multi eruditii eo fundant principio, quod libertas homi-
 nis intelligi & explicari nequeat. Quid vero respondit ei Christus?
 Non solvit quæstionem. Non enim pertinet ad homi-
 nes eum solvere, quia est mere theoretica & transcendens,
 neque practici usus. Irridet fere (leni sua utens ironia) sol-
 licitudini magistri litterarum, ineptam soluturi quæstionem (v.
 10.). Praeclara autem imagine (v. 8.) rem felicissime illustrat:
 observans, multa esse physice phænomena, quorum causæ ex-
 plicari nequeant, quæ tamen verissima sint. Conscientiam
 provocat uniuscujusque hominis, quæ sibi certum reddit: eum
 liberum esse, atque se ipsum emendare posse. Omnem autem
 dubitationem & errorem moralem a pravitate voluntatis de-
 ducit (v. 19, 20.), veritatis studium apud honestos laudans.
 (v. 21.). Suam vero de morali hominis emendatione doctri-
 nam non solutione quæstionum subtilium (qualis hæc Nicode-
 mi erat), sed divina sua auctoritate confirmat (v. 12, 13.):
 quam vita & morte sua (v. 14.) humano generi probaturus
 erat, illud e tenebris ignorantiae & pravitatis, si in eum cre-
 deret, salvaturus (v. 15-18.). Hoc responso contenti esse
 homines debuerint, neque de modo regenerationis moralis
 magis solliciti esse, quam de physica ortus sui ratione, quam
 explicare nemo mortalium hucusque valuit, minime tamen
 de physica sua existentia dubitans. Placuit autem divino do-
 stori, qui timuit, ne, absente persona sua sensibili, vana ho-
 minum dubitatio moralem eorum in se fidem, quam tantis

con-

confirmaverat operibus, convelleret, novum adhuc manifestare divinæ providentiae consilium. Promisit nempe Christus (Joh. 16. 7. 11.) se ad illos, qui in eum crederent, paracletum sive spiritum sanctum e cœlo esse misurum: qui, ipso e terra sublato, homines primum (v. 9.) de peccato suo, errore & pravitate, quamdiu, in Christum non credentes, nullam esse libertatem & dignitatem moralem opinarentur, deinde (v. 10.) de *justitia* Christi (merito ejus expiatorio, a Deo ipso, qui in cœlum eum sustulit, comprobato, efr. Rom. 1. 17.), quæ pœnitentiam & emendationem peccatoris efficeret debet, tum (v. 11.) de *judicio*, quo genus humanum e potentia principis hujus mundi, qui non nisi sensualem promittit felicitatem, eamque valde fallacem, in moralem Dei civitatem restituitur, persuaderet; atque sic in animis eorum tres illas partes fidei justificantis, quas supra definitivus, excitaret & confirmaret.

Ulterius autem de modo operationis hujus querere: frustaneus foret & inutilis recursus ad quæstionem illam arrogantem, insolubilem & ad homines non pertinentem de rebus moralibus & divinis, quatenus per se existunt. Sufficit nobis, scire: spiritum illum sanctum in animis nostris operantem: 1:0 non tollere libertatem voluntatis nostræ, cum hæc illi sponte occurriere debeat: 2:0 non posse procedere, nisi a Deo ipso patre & filio, omnis sanctitatis principio. (Joh. 14. 16, 17. 1 Cor. 3. 16. Rom. 15. 13.). Quem Deum trinum, non vano studio, essentiam ejus theoretice explorandi



di (x Tim. 6. 20.) II), sed animo & vita practice colamus: ut filius patrem in se ostendit, sic nos sanctum utriusque spiritum in nobis ostensuri. (Joh. 17. 21-24. 2 Cor. 13. 13.).

II) Excitare animum ad timorem, fidem, invocationem, multo rebus & melius est, quam otiosas speculationes agitare, & rixari de scholasticis argutiis, quæ tamen non explicant arcanam naturam Dei: & quia plerique sunt inextricabiles, simul dubie multorum conscientias everterunt, non erudierunt. *Melanchthon.*

CORRIGENDA.

- P. 5. l. 14. exercenda pro excercenda.
- P. 10. nota h) vel pro vei.
- P. 11. l. 7. pendeat pro pendent.
- P. 12. l. 19. sensationes pro sensatione.
- l. 33. Holmiam pro Holmie.
- P. 15. l. 13. rejecerunt pro rejicerunt.
- P. 20. nota o) que pro qui.
- P. 24. l. 7. amnem pro omnem.
- P. 26. l. 13. consentit pro sentit,
- P. 30. l. 25. isti pro istæ.
- P. 31. l. 9 & 15. Epicurea pro Epicuræ,

